

voluit. parare sedes glorie quibus vellet. Sed dicit aliquis. ille cum de spiritu sancto loqueretur ita se missurum ait ut non negaret patrem missurum. et alio loco ita patrem. ut non negaret se missurum. hic vero aperte ait. non est meum dare vobis. atque ita sequutus. a patre dixit ista preparata. Sed hoc est quod praestitum? secundum formam serui dictum. ut ita intelligeremus non est meum dare. ac si diceret non est humane potestatis hoc dare ut per illud intelligatur hoc dare. pro quod deus et equalis est patri. Non est inquit meum dare. id est non humana potestate ista do. sed quibus patum est a patre meo. Sed iam tu intellige. quia si omnia que habet pater mea sunt. et hoc vult meum est et cum patre ista paravi. Nam et illud. quero quomodo dictum sit. si quis non audit verba mea ego non iudico eum. fortassis enim ita hic dixit. ego non iudicabo illum. quem ad modum ibi. non est meum dare. Sed quid hic sequitur? non enim vult inquit ut iudicem mundum. sed ut saluum faciam mundum. deinde adiungit et dicit. Qui me spernit et non accipit verba mea. habet qui se iudicet. hic iam intelligerem? patrem. nisi adiungeret et diceret. verbum quod loquutus sum. ipse iudicabit illum in nouissimo die. Quid igitur iam nec filius iudicabit. quia dixit. ego non iudicabo illum. nec pater. sed verbum quod loquitur est filius. immo audi ad huc quod sequitur. Quia ego inquit non ex me loquutus sum. sed ille qui me misit pater. ille mandatum michi dedit. quid dicam aut quid loquar. et scio quod mandatum eius vita eterna est. Que ego loquor ita ut dixit michi pater sic loquor. si ergo non iudicat filius. sed verbum quod loquutus est filius. ideo autem iudicat verbum quod loquitur est filius. quia non ex se loquutus est filius. sed qui misit eum pater mandatum dedit ei. quid dicat. et quid loquatur. pater vultque iudicat cuius verbum est quod loquutus est filius. atque ipsum verbum patris idem est filius ipse. Non enim aliud est

mandatum patris. aliud verbum patris. Nam et verbum hoc appellauit et mandatum videamus ergo ne forte quod ait. ego non ex me loquutus sum. hoc intelligi voluerit ego non ex me natus sum. si enim verbum patris loquitur. seipsum loquitur. quia ipse est verbum patris. plerumque enim dicit. Dedit michi pater in quo vult intelligi. quod eum genuerit pater. ut non tanquam iam existenti et non habenti dederit aliquid. sed ipsum dedisse ut haberet. genuisse. est ut esset. non enim sicut creatura ita dei filius ante incarnationem. et ante assumptam creaturam virginis pro qua facta sunt omnia aliud est. et aliud habet. sed hoc ipsum est. quod est. id quod habet. quod illo loco manifestum dicitur. si quis accipiendum sit idoneus. vbi ait. Sicut habet pater vitam in semetipso. ita dedit vitam habere filio in semetipso. neque enim iam existenti et vitam non habenti dedit ut haberet vitam in semetipso cum eo ipso quod est vita sit. hoc est ergo dedit filio vitam habere in semetipso. genuit filium incommutabilem vitam quod est vita eterna. Cum ergo verbum dei sit filius dei. et filius dei sit verus deus. et vita eterna. sicut in epistola sua dicit iohannes. etiam hic quod aliud cognoscimus. cum dicit dominus verbum quod loquutus sum ipse iudicabit eum in nouissimo die. et ipsum verbum patris verbum esse dicit et mandatum patris ipsumque mandatum vitam eternam. et scio inquit quod mandatum eius vita eterna est. quero itaque quomodo intelligamus. ego non iudicabo. sed verbum quod loquutus sum iudicabit. quod ex consequentibus apparet ita dictum. ac si diceret. ego non iudicabo sed verbum patris iudicabit. Verbum autem patris est ipse filius dei. Si eccine intelligendum est. ego non iudicabo. sed ego iudicabo. quomodo istud esse verum. nisi ita ego scilicet non iudicabo ex potestate humana. quia filius hominis sum. sed ego iudicabo ex potestate verbi. quia filius dei sum. aut si contraria et repugantia videntur. ego non iudicabo. quid illinc